

sorptu effusi in venas iterum (269. 280.).
 2. a correctione acrimoniae praedominantis, & glutinis simul, quae nulla re felicius, quam per saponacea Chemica absolutur.

1034. Quae a praedominio lymphae extravasatae orta est, facilius tollitur, omis-
sa, utpote hic fere nocente, missione san-
guinis; datis hydragogis fortissimis statim
ad alvum determinatis; tum dissipantibus
applicatis; maxime vesicatoriis largissimis,
diu apertis; viectu exsiccante; fortibus epi-
spasticis, fonticulis, setaceisque.

1035. Si vero a venenis jam producta
fuerit, nulla hactenus medela descripta ha-
betur; ut nec illi, quae a polypo.

C A T A L E P S I S.

1036. **C**atoche, Catochus, Catalepsis,
dicitur morbus, quo laborans
repente, immotus, nec sentiens, illum
corporis statum retinet, quem primo mo-
mento accendentis morbi habebat,

1037. Hujus ergo proxima causa immobi-
litas sensorii communis, prout primo mo-
mento insultus se habebat.

1038. Ergo sanguinis, cerebrosi, glan-
dularum cerebri, emissariorum ejus abso-
luta quies, ut in initio.

1039.

1039. Omnes quidem in eo morbo functiones cerebri laeduntur, & illae, quae independent; soli musculi sic manent tenui, ut in initio erant; caeterum respiratio & pulsus supersunt, at plerumque leviores.

1040. Febris intermittens, diu perdurans, maxime quartana; melancholica, sicca, strigosa temperies; menstrua, & haemorrhoides retenta, terrores summi, subitique; profunda, protracta diu in unum objectum meditatio; febres validae in homine sanguinolento accensae, morbum hunc plerumque antecedunt.

1041. Dissecta cadavera demonstraverunt arterias venasque cerebri valde turgentes fortiter impacto denso cruento.

1042. Sanatur saepe excitata larga narium haemorrhagia.

1043. In alios morbos raro transit; aliquando tamen Epilepsia, Convulsio, Dementia, *ἀπεροφία*, eum exceperunt, in mortem plerumque finitur.

1044. Curatio tentatur pro varietate causae varia. Excitando per objecta valide in organa sensuum agentia, ut sunt lux, sonus, stimulus, sal volatilis acer, dolor, frictio, motus continuatus; haemorrhagiae ex naribus projectu; haemorrhoidalnis, menstruive fluxus projectu;

ster-

sternutatoriis; vomitivis; vesicatoriis;
fonticulis; fetaceis; victu humectante.

C A R V S.

1045. **C**arus est apoplexia levis, somnus
vero gravissimus, cum febre,
ex causis maxime cerebrum illaesum com-
primentibus (1010. N° 3. l. α. β. γ. δ.),
aut causis obstruentibus, sed facilis, quam
in apoplexia, solvendis (1010. N. 2. l.
β. γ.): est in hoc aliqua perceptio, sed su-
bitanea; aliquis sensus, sed parvus.

1046. Hinc a caro soluto sanitas, nisi
quod forte titubatio vacillans capit is ali-
quamdiu supersit.

1047. Curatio petenda ex curatione
apoplexiae tradita (1020. ad 1036.)

1048. Coma vigil, Coma somnolentum,
Cataphora, videntur tantum esse Cari le-
viores species (703. ad 710.)

1049. Lethargus autem levior est apo-
plexiae species ex causa frigida, lenta, a-
quosa: unde ex historia apoplexiae ejus
cognitio & curatio petenda (1008. ad
1036.)

Aphor.

R

DE